Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1363
Quelle:
Copyright:

delicet, Mundum ad annum Mundi circiter 5854. et Christi circiter 1854. terminandum. Circa annum salutis 1817. eligendum Papam *Fratrem Angelum*, et vocandum *Pastorem Angelicum*. Circa annum 1820. nasciturum et anno 1851. appariturum *Antichristum*, tum secuturum ejus triennale Imperium, Mundique finem. Atque haec omnia Vaticiniorum qualicumque Minerva expositorum, ductorumque inde calculorum fide, ea tamen cautela, ut se non nisi *Ominari* profiteatur Interpres. Recte sane, nam, qui vices temporis ab ejus scriptione lapsi expendit, facile videt, quoties eum sua destituerint oracula. Ita in Regum *Hispanorum* Serie *fol.* 423. Regnum istud ad *Andegavenses* transiturum nulla ei Sibylla revelavit. Dixi supra Jesuitam fuisse. En argumentum *fol.* 119. *Quae rerum nostrarum pars mansit intacta? Explosa nova haec Religio tam superbo Jesu nomine; contempta Votorum simplicium vincula, quae solvi possent; irrisa paupertas, tam sumptuosis scilicet nixa templorum ædificiis, et tam splendido Sacrorum apparatu. Tyrannica dicta est coeca obedientia, comparata a Polycarpo* (Leysero) *Turcicæ, Moscoviticæque parendi necessitati; gratuita Sacramentorum aliarumque functionum administratio adpellata turpissimus questus; sæpius in suspicionem Hæreseos doctrina adducta; tota regendi ratio dicta politica, persimilis Machiavelli instituto atque istiusmodi e fontibus petita.* Addo, inserta passim esse Codici picta calamo Schemata, Tabellasque chronologicas et genealogicas.

DCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 167. f. lineis longis exaratus, et olim a *Job. Fabro* Ep. *Vindob.* transscriptus suo ad D. *Nicolaum* Collegio, uti Nota praevia tam impressa, quam manu scripta testatur, est Versio *Korani Mohammedani* curata a *Petro Mauritio* dicto *Venerabili*, Abbate *Cluniacensi* a. Chr. MCXLIII. quam jam *Vol.* I. P. 2. *col.* 1429. adtigi. At vero hic penitius in eam ingrediendum est. Praeit: *Epistola abbatis petri ad dominum Bernhardum Clarevallensem abbatem de translatione Alkorani per eum ex arabico procurata.* Epistolam hanc legas in *Theod. Bibliandri Mahumeticis* sive *Alcorano* 1543. et 50. *Basileae*, ut mihi videtur, per *Oporin.* f. edito p. 1. et in *Bibliotheca Cluniac.* excusa *Paris.* 1614. f. p. quidem 1109. ut est apud *Bibliandrum*, p. vero 843. prout partem *Epistolae* 17. *Libri* IV. constituit, et περιοχην illam, quae de translatione nostra agit, omittit, quod, qua ratione factum sit, difficulter statuas. In hac porro Epistola cardo rei vertitur; nam ea non rite perpensa dubium de vero *Alcorani* Interprete natum est, quod *Nic. Antonium* et nuper *Bayerium* novum *Bibliothecae Vet. Hisp.* Editorem *Tomo* II. *Matriti*

U. 453